Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Romam cum socio attingit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46083

ptum, credidêre viri Principis alicuius eſſe filium, qui (vt aliàs crebrò Laureti fit) ad viſendam Ædem ſacram veniſſet, alienâ veſte perſonaque ſuſceptâ. Matutinis precibus abſolutis, auditoque mox Sacro, cælesti ſe cibo in Sacrario illo Mariano refecit, incredibili ſuâ conſolatione. Biduo hîc ambo reſtitêre, nec animum, quantumuis paſcendo ſacræ illius Domus parietumque aſpectu, ſatiare poſſe videbantur. Reliquum denique iter conficientes, Romam extremo Decembri peruenêre. Cumque ad Profeſſorum Domum diuertiſſent, à P. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, alijſque Patribus humaniter accepti, indidem Circumciſionis Dominicæ diem (qui feſtiſſimus eſt eius Domus Templo) agere iuſſi, deinde in Collegium traducti tranſcriptique ſunt. Hîc Ioannes ſeceſſit inter recentiores Collegas, qui, (vt mos eſt) Tyrocinio exacto, alterum prætereà biennium, ſeparato ab alijs contubernio, ad ſtudia perſequenda diuiduntur. Magiſtrum nactus eſt P. Franciſcum Piccolomini, qui Philoſophiæ curſum inſtituere cœperat à bimeſtri. Hic ſtatim Ioannis ſe virtus ſingularis prodidit, qui ſuauiſſimis hinc moribus, hilarique naturæ indole ornatus, inde abductus in ſeſe, ſilentij diſciplinæque religioſæ amans, nec facilitate modeſtiam, nec ſeueritate beneuo-

Romam cum ſocio attingit.

Inter nouos Collegas ſeparato contubernio adſcribitur.

Ioannis taciturnitas non minuit amorem, nec hilaritas ſeueritatem.